



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani**

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuißimiè explicantur

**Gavanti, Bartolommeo**

**Antverpiæ, 1634**

De Semiduplici, & Simplici. II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40262**

4 Comment in Rubr. Missalis. Pars I. Tit. I. II. & III.

obtulit in pane azymo, in Cœnaculo Sion. Eadem docet *Pamelius Tom. 1. Liturg. Eccles. Latina.* neque dicas, Iacobum celebrasse primam, de *Consecrat. d. 1. cap. Iacobus*, ex Synodo *Sexta*; quia Petrus ordinem præscripsit, Iacobus euulgavit: quomodo conciliat Scriptores *Vualden. lib. de Sacrament. tit. 12. cap. 28.* & de Petro absolutè docent *Clem. Epist. 2. Isidor. libro 1. de Offic. cap. 13.* e *De Festo Duplici, &c.* ] Quid sit Festum Duplex, &c. dicemus cum de Rubricis Breuiarij.

A.  
De concordantia  
cum officio  
I - IV

De Duplici. I.

**M**issa dicitur de Duplici illis diebus, quibus in Calendario ponitur hac nota, Duplex, & in Festis mobilibus, quandocumque Officium est Duplex. In Duplicibus dicitur <sup>f</sup> vna tantum Oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, vt in proprijs Missis assignatum est. Quando dici debeat Gloria in excelsis, & Credo, inferius ponitur in proprijs Rubricis.

<sup>f</sup> Vna tantum Oratio.] Vide infra tit. 9. de Orationibus, cur vna tantum.

De Semiduplici, & Simplici. II.

**M**issa de Semiduplici dicitur, quando in Calendario ponitur hæc vox, Semiduplex. Præterea in Dominicis, & diebus infra Octauas. In Semiduplicibus tamen Festis, quàm Dominicis, & infra Octauas dicuntur plures Orationes, vt infra dicitur in Rubrica de Orationibus. <sup>g</sup> Infra Octauam dicitur Missa sicut in die Festi, <sup>h</sup> nisi propriam Missam habuerit: in Dominicis verò, sicut in proprijs locis assignatur. De Simplici dicitur Missa sicut de Semiduplici, vt suis locis ponitur.

<sup>g</sup> Infra Octauam.] Octaua namque est eiusdem Festi prorogatio, teste Radulpho Tungrensi de Canonum obseruat. Propos. 19.

<sup>h</sup> Nisi propriam Missam habuerit.] Vt infra Octauas Paschæ, Pentecostes, & sanctorum Apostolorum Petri & Pauli accidit.

De Feria, & Vigilia. III.

<sup>i</sup> **M**issa de Feria dicitur, quando non occurrit Festum, vel Octaua, vel Sabbatum, in quo fiat Officium B. Mariae. In Ferijs tamen Quadragesimæ, Quatuor Temporum, Rogationum, & Vigiliarum, etiam si Duplex, vel Semiduplex Festum, <sup>i</sup> vel Octaua occurrat, in Ecclesijs Cathedralibus & Collegiatis <sup>k</sup> cantantur due Missæ, vna de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.

Missæ